

PRAEFATIO.

cet, maiorem sistere potuisse numerum, si hoc iudicassem necessarium. Commemorabile exemplum est IO. MVSAEI, Theologi Ienensis, filius, IO. CHRISTOPH. MVSAEVS, cui licet SEBAST. NIEMANNVS, & plures, magno Stipendium Schabbelianum studio comparare annisi sint, impedimento tamen videtur fuisse filio, quod patri contradixerit ABRAH. CALOVIVS, inque ultimis Systematis Theologici Tomis quaedam ei oppo- suerit (\*\*\*\*). Vnde liquet, quod, cum vi voluntatis Schabbeliana caute et circumspecte sint eligendi Stipendii huius alumni, in quos ne minima quidem cadit suspicio, istius etiam memoria religiosum GLOXI- NIVM subierit. Caeterum spero, fore, ut Lectori non displiceat, quod reddiderim, & auctum quidem, *de Stipendiatis Literariis Nebucadnezaris, Babylo- niorum Regis, ad Dan. I. 4. 5. 6. 17. 19. 20. Meletema,* habendae Orationi saeculari praemissum, idque praesertim ideo, quoniam pleniori Stipendii Schabbeliani historiae percipiendae inserviet, quo fine etiam novas quasdam annotationes, ad hodiernos praesertim Stipendiatos spectantes, adieci. Laborem vero, edendo huic *Iubilaeo Schabbeliano Lubecensi* horis subsecivis impensum, vti non sine iucunditate exantlavi, ita LE- CTOREM INGENVVM prosperrime valere, cupio!

(\*\*\*\*) Extat D. SEBAST. NIEMANNI ad D. ANTON. HENR. GLOXINIVM Epistola, Slesvici d. 27. Iun. 1678. scripta, quae incipit: *Was meinem Hochgeehrten Herrn beliebet, auf mein Intercession-Schreiben wegen Hu. D. JOHANNIS MVSAEI Sohnes, dass er zu dem berühmten Schabbelischen Stipendio mit der Zeit gelangen möchte, großgünstig zu antworten, solches habe ich vor vielen Wochen wohl empfangen. Ersehe unter andern daraus, dass einiger scrupul dess- wegen gemacht werde, dass wolged. Hr. D. MVSAEVS mit Hu. D. CALOVIO in einigen Streit gerathen, & rel.*

ORATIO